



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Brevis Expositio Propositionum Damnatarum

Didacus <ab Aragonia>

Venetiis, 1728

Copula.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42653

Resp. Affirmativè, ratio est, quia non potest Confessarius in illo articulo melius certiorari, sed tunc absolutio sub conditione conferenda est videlicèt: si ritè es dispositus: *ego te absolvo &c.*

155. Quæritur. An ad suscipiendum pœnitentię Sacramentum requiratur contritio perfecta?

Resp. Negativè, nam sufficit attritio supernaturalis, & hæc doctrina est omninò certa, & indubitabilis propter definitionem Tridentini *sess. 14. cap. 4. in hæc verba: Quamvis sine Sacramento &c.*

156. Quæritur. An saltem in articulo mortis requiratur contritio perfecta?

Resp. In articulo mortis pro valore, & efficacia Sacramenti pœnitentię non requiri contritionem perfectam, sed sufficere attritionem supernaturalem; Ex alio vero capite requiritur perfecta contritio, ex charitate formata, quia cum homo in eo articulo non sit certus, eam attritionem supernaturalem, qualis requiritur ad Sacramentum, à se esse elicitam; actus autem dilectionis Dei super omnia reddat illum omninò securum pro salute æterna consequenda, ideò ad hanc securitatem requiritur contritio charitate formata, maximè, cum non habeat omnimodã evidentiam, aut certitudinem de valore sui baptismi, neque de valore ordinis Sacerdotis illum absolventis.

G O P U L A.

157. **Q**Uæritur. Quot sint fines propter quos licet, aut non licet vacare Copulæ Conjugali?

D 4

Resp.

Resp. Esse septem, nempe bonum pro-
lis, redditio debiti Conjugalis, significa-
tio Christi cum Ecclesia, aut cum humana
natura, sanitas corporis, vitatio fornica-
tionis, voluptas, & finis alius quilibet ex-
traneus.

158. Quæritur. Qualis sit finis prima-
rius, ad quem contractus Matrimonii in-
stitutus est à natura?

Resp. Esse bonum proles in ordine ad
conservandam speciem, sed quia etiam est
Sacramentum, qua tale est institutum ad
generandam prolem in ordine ad glorifi-
candum Deum, alioquin erit peccatum
veniale.

159. Quæritur. Quomodo sit licitum uti
Copula Conjugali?

Resp. Licere uti tali copula propter præ-
dictum finem primum, aut etiam pro-
pter finem Matrimonii, idest propter im-
plendam obligationem ex justitia reddendi
debitum

160. Quæritur. An liceat vacare Copu-
læ Conjugali solùm propter finem vitandæ
incontinentiæ?

Resp. Si sit propter vitandam incon-
tinentiam alterius Conjugis, certum est,
in eo nullum esse peccatum, quia in eo
fine invenitur fides Conjugii, sive red-
ditio debiti Conjugalis, si verò Conjux va-
cet Copulæ solùm propter vitandam in-
continentiam, aliqui culpam venialem,
alii nullam esse affirmant.

161. Quæritur. An liceat vacare Copu-
læ Conjugali solùm propter sanitatem?

Resp. Cui indiget eo medio ad sanita-
tem, & intendit finem primum, & si-
mul sanitatem adhibendo tale medium,
nul-

nullum peccatum committit, si autem intendit sanitatem dumtaxat, omittendo finem primum, in hac omissione peccat venialiter.

162. Quæritur. An sit licitum vacare Conjugali Copulæ propter solam voluptatem?

Resp. Esse damnatam ab Innoc. XI. *cum propositione* 9. opinionem, quæ negat, Copulam Conjugalem habitam propter solam voluptatem carere omni culpa, etiam veniali, & sufficiens motivum esse censetur pro damnatione illius, quod SS. Patres doceant oppositam sententiam; si verò vacetur dictæ Copulæ propter voluptatem, tanquam propter finem subordinatum fini primario Matrimonii in ordine ad generationem, nulla omnino interveniet culpa, nam qui sic operatur, sequitur ordinem naturæ, quæ destinavit voluptatem Copulæ ad reddendam faciliorem generationem proles, & conservationem speciei; & ex his patet, esse peccatum veniale uti Copula Conjugali propter finem aliquem matrimonio extraneum, v. g. propter consequendum à Conjugali quod donum &c.

163. Quæritur. An possint aliquando Conjuges in Copula Conjugali mortaliter peccare?

Resp. Affirmativè, & 1. si semen scienter, & voluntariè extra vas effundant, quia est contra finem generationis. 2. si in actu generationis mentem ad alia objecta divergant, ita ut vir aliam mulierem, & mulier alium virum desideret, quod est in Confessione aperiendum cum objecto cogitato. 3. si vir in vase præpostero uxorem cognoscat, etiam cum animo consumman-

di in debito vase, magna enim indecentia in Matrimonio apparet. 4. si luxuriis prohibitis se faciant impotētes ad reddendum debitum, nam præbent causam ruinæ spiritualis. 5. si aliquid faciant, per quod Conceptionem impediunt, etiam si de facto non impediatur, quia per eos non stat, quin impediatur. 7. si habens votum castitatis debitum petat absque dispensatione, quod tamen potest, & tenetur reddere &c.

164. Quæritur. An qui habuit Copulam cum soluta, satisfaciat Confessionis præcepto dicens: commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando Copulam?

Resp. Nequaquam satisfacere, ut constat *ex propof. 25.* inter damnatas ab Alexandro VII Ratio est, quia quamvis juxta probabiliorē sententiam non teneamur in Confessione aperire circumstantias peccati aggravantes, sed solum numerum, & circumstantias speciem mutantem; nihilominus ita numerum peccatorum teneamur explicare, ut unumquodque explicandum sit secundum individuationem suam, si ea individuatō speciali modo participet malitiam specificam peccati: v. g. licet non teneamur aperire, num peccatum commissum contra Castitatem diu duraverit, num fuerit intensum, nec explicandum sit, num Copula hoc, vel illo situ fuerit commissa, eo quod hæc spectant ad circumstantias, non ad substantiam actus; explicanda tamen est diversitas actuum qui diversimodè speciem peccati participant, atque adeò explicandum est, num peccatum patratum cum soluta contra Castitatem fuerit merus tactus, an fuerit Copu-

pu-

pula, cum huiusmodi duo actus in æstimatione morali diversimodè contrahant eandem speciem luxuriæ.

165. Quæritur. An qui habuit Copulam completam cum Berta, satisfaciat præcepto Confessionis, dicens: incepti Copulam cum fœmina?

Resp. Negativè, ratio est, quia licet Copula incepta, & Copula completa sint in eadem specie peccati, diversimodè tamen ejus malitiam participat Copula completa, ideoque individuatio ipsius explicanda est; similiter qui inceptit Copulam, & ab ea destitit, effunditque semen extra vas, tenetur hanc circumstantiam exprimere, quia est species diversa.

166. Quæritur. An in peccato sodomice explicanda sit circumstantia agentis, vel patientis, vel an sufficiat dicere, peccavi sodomiticè?

Resp. Explicandam esse circumstantiam agentis, vel patientis, eo quod in æstimatione morali diversimodè contrahat malitiam specificam peccati sodomitici peccatum agentis, utpotè se polluentis, quàm peccatum patientis non se polluentis, ideoque non sufficiet in Confessione dicere: peccavi sodomiticè.

167. Quæritur. An tactus antecedentes Copulæ illicitæ, ac subsequentes necessariò sint in Confessione exprimendi?

Resp. Negativè, ratio est, quia explicata Copula sufficienter explicantur & tactus, si verò illi, qui Copulæ subsequuntur, fiant cum animo ipsam iterandi, tunc opuserit, eos in Confessione exprimere.

168. Quæritur. An damnationi subiaceat opinio asserens: Catholicum, qui Copulam

habuit cum fœmina hæretica, hebræa, vel pagana, non teneri talem circumstantiam in Confessione explicare?

Resp. Quamvis talis opinio nec expressè, nec virtualiter sit damnata, nihilominus à praxi omninò est reiicienda, ratio est, quia ea Copula addit actui fornicationis malitiam irreligiositatis, quatenus per illam operatur directè contra reverentiam Christianæ Religionis, in cuius honorem prohibita est ab Ecclesia carnalis conjunctio cum infideli.

169. Quæritur. An qui per totam noctem dormivit cum Muliere, satisfaciat Confessionis præcepto dicendo: dormivi per totam noctem cum amasia, & feci quod volui?

Resp. Affirmativa opinio saltem virtualiter est damnata, ratio est, quia non exprimitur numerus Copularum, & aliorum peccatorum, quæ fortè commissa sunt dicendo solum: feci quod volui, etenim alii plura, alii pauciora fornicationis, vel pollutionis, aut sodomix peccata committunt.

170. Quæritur. An Eunuchus, seu Castratus, aut frigidus accusans se de Copula habita cum silvia, debeat aperire in Confessionem circumstantiam suæ impotentix ad generandum?

Resp. Tenetur eam circumstantiam exprimere, ratio est, quia talis Copula cum non sit ex natura sua apta ad generationem, transfertur ad peccatum contra naturam, sicut est pollutio propria, vel aliena procurata, voluntarie, sed tenetur etiam explicare Copulam, & objectum, cum quo ipsam habuit.